

rumque robore, ut rursus testatur Apostolus dicens: *Sermo meus & predicatio mea, non erat in persuasoriis humana Sapien-
 pientia verbis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum: &
 rursus: quod & loquimur, non sermonibus quos docet humana
 sapientia I. Cor. II, 4. 5. 13.* Sed infinita potentia Dei, quam Apo-
 stolus vocat: *Excellentem Magnitudinem potentia illius in nos,
 qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quam
 exercuit in Christo, cum suscitaret eum à mortuis Ephes. I, 19. 20.*
 Nec enim aliam causam fidei illis verbis, *in nobis, qui credi-
 mus natà secundum aut per efficaciam roboris fortitudinis ipsius,*
 innuit; quam quidem infinitam Dei potentiam aut Dei omni-
 potentiam, præcipuè cum addat, intelligere se eam potentiam
 roboris Dei, *quam exercuit DEUS in Christo, cum excitaret eum
 à mortuis.* Omnibus rectè sentientium calculis id approbanti-
 bus, Christum infinità Dei potentia aut omnipotentia esse à
 mortuis suscitatum. Atque hinc etiam verbum Dei *vivum,*
efficax, & penetrantius esse dicitur quovis gladio ancipiti, Ebr.
IV, 12. illuminare oculos mentis Ps. XIX, 11. II. Petr. I, 19. & Deus
operari dicitur virtutes in nobis ex auditu fidei Gal. III, 5. Sive
 ex prædicatione doctrinæ fidei, auditu percepta. Hoc est,
 quod inculcat *Augustinus lib. de gratia Christi cap. 13. ita disse-*
rens: Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut al-
tius & interius eam DEUS cum ineffabili suavitate credatur in-
fundere, non solum per eos, qui plantant & rigant extrinsecus,
sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occul-
tus, ita, ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam
impertiat charitatem. Sic enim docet eos DEUS, qui secundum
propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, &
quod sciunt, agere. Et cap. 14. Ac per hoc, quando DEUS docet,
non per legis literam, sed per spiritus gratiam: ita docet, ut, quod
 quis-